Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Gefördert durch DFG Deutsche Forschungsgemeinschaft

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

DFG-Projekt "Personales Gelegenheitsschrifttum in der SuUB Bremen (16. bis 19. Jhd.). Digitalisierung und Erschließung."

Viro Perillvstri Perqvam Magnifico Atqve Excellentissimo Domino Henrico Koehnen ... Iam Ad Consvlatvm Et Amplissimvm Scholarchae Mvnvs Cvnctis Patrvm Conscriptorvm ... Hoc Dignitatis Fastigivm D. XX. ...

Koehne, Heinrich

Bremae, 1787-01-20

VD18 91022797

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Signatur: brem.a.0630-17

urn:nbn:de:gbv:46:1-178457

Visual Library

17

VIRO PERILLVSTRI

PERQVAM MAGNIFICO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

HENRICO KOEHNEN

ICTO EMINENTISSIMO

REIPVBLICAE PATRIAE PER ANNOS FERE XX.

SENATORI MERITISSIMO

REI MILITARIS MODERATORI

RELIQVA

IAM AD

CONSVLATVM

ET

AMPLISSIMVM SCHOLARCHAE MVNVS

CVNCTIS

PATRVM CONSCRIPTORVM

SVFFRAGIIS EVECTO

SVPREMVM HOC DIGNITATIS FASTIGIVM

D. XX. IANVARII. cIↃIↃCCLXXXVII.

SOLEMNI RITV OCCVPATVM

QVO PAR EST DEVOTISSIMAE PIETATIS ET OBSERVANTIAE

CVLTV GRATVLABATVR

ILLVSTRIS SCHOLA BREMENSIS

SVFFRAGANTE

CHRISTIANO NICOLAO ROLLER

V. D. M.

PHILOSOPHIAE IN EADEM ILLVSTRI SCHOLA PROFESSORE

ROTERODAM. LITTERAR. SOCIET. CVIVS INSIGNE EST

PRODESSE CANENDO

COLLEGA HONORARIO.

BREMAE,

TYPIS DIDERICI MEIER, ILLVSTRIS GYMNASII TYPOGRAPH.

Quid lacrymas video queribundam fundere BREMAM?
Non aliter, quam ſi publica damna gemat.
Nec Ciuis tacitum premit alto corde dolorem;
Ille ſed erumpens, nil niſi flere iubet.
Scilicet exiuit vita modo SMIDIVS: eheu!
Sancta Cui pietas, mens bene docta fuit.
Quem cathedrae commendat honor, Quem ſanguis auitus,
Officiique decus, iuſtitiaeque labor.
Femina virque dolent; queritur ſua damna SENATVS:
Dum Patriae Culmen nobile, CONSVL, obit.
CONSVL obit ſenior: per bis duo luſtra gerendo
Magnificum hoc munus, CIVIS et VRBIS amor.
Sed quid iam proſunt lacrymae? quid plangere nobis
Conuenit? aut comtas dilaniare comas?
Cum ſemel exſtinctus iaceat: Qui viuet in aeuum
In Patriam meritis, cultus vbique Bonis;
Quique, vbi nec luctus, curarum examina nulla,
Nunc agit, et, ſtabili pace quietus, abeſt.
Namque tenet ſuperi tranquilla palatia coeli;
Gaudet et adſpectu liberiore DEI.
Ergo quieſcendum nobis: dicendaque, fati
Qui tenet arbitrium, gratia digna DEO:

Quod iam consilio BREMENSIS rite SENATVS
Sufficitur CONSVL, Cui mea Musa litat:
Qui bene iacturam tam grandem, CVRIA quam nunc
Passa fuit, meritis farciet IPSE suis.

* * *

Iam, KOEHNEE, TIBI fausTos gratamur honores:
(Sint quamuis humiles pauca canentis opes)
Da veniam modulis, queis TE nunc Musa salutat
Nostra, patrocinio nixa vel aucta Tuo:
Nec spernens tenui modulamina congrua venae,
Accipe, quae grato pectore vota fluunt.
Macte nouis titulis, VIR MAGNE, et honoribus amplis,
Quos tribuit dignis CVRIA SANCTA Viris:
Quos meruit pietas, solidique scientia iuris,
Clari DOCTORIS cuius honore clues;
Quos meruit candor, quem Ciuis laudat, et Hospes
Miratur; facili conditione Tuus.
Omine TV fausto, sellam conscende curulem:
Qua PATER et, longo tempore, sedit AVVS.
Vnde imitatus AVI, clarique exempla PARENTIS,
Ciuibus ingenuis patria iura dabis.
Sic adsueta TVIS, sic debita culmina multis
In PATRIAM meritis, MAGNE VIR, vsque tenes.
Viue diu, VRBIS Amor, Spes et dulcissima nostrae,
Quam colis et seruas, Deliciumque SCHOLAE!
VIR GENEROSE, diu viuas! Quem rite SCHOLARCHAM
GYMNASII dici, CVRIA tota iubet:
Gloria GYMNASIO, TE digno Vindice, crescet;
Induet et nitidam laeta Minerua stolam.
Gratia cum Musis, cum Pallade Themis auita
Inuisent nostram, cum REGIONE, SCHOLAM.
CONSVLIS adsideas clauo, ventisque secundis
Vsque vehant BREMAE turgida vela ratem!
Praesideatque Tuis, CONSVL digniSSime, coeptis
Omnibus altitonans, qui regit astra, DEVS;

Consiliisque Tuis adspiret: et omnia prono
Fata Tuae domui flumine semper eant!
Fama decusque Tuum per totam floreat Vrbem!
Aeternum vigeant CVRIA, TEMPLA, SCHOLAE!
Aurea Libertas, longis quae heic floruit annis,
Exsuperet Pylii secula cana Senis!

* * *

Tv modo pacato leuidensia munera vultu
Suscipe, quae debet gratia nostra TIBI.
Atque in nos Tua sit semper propensa voluntas:
Promoue et ILLVSTRIS commoda rite SCHOLAE!
Sic SCHOLA, sic CIVES, sic et RESPVBLICA tota
Te PATRIAE PATREM tempus in omne colent.
TE modo conseruet NVMEN, quod cuncta gubernat
Fata hominum, aetatem Nestoris vsque senis.
Nec minus exaequet meritis Tua tempora vitae,
Queis iam colluces, quaeque habiturus eris!
Et quum vita suos tandem compleuerit annos,
TE DEVS in coeli regna beata locet!